

1677

P O L E M I C I.

1678

besque muratas aedificasset. Ad ea, quae annis 1418. et 19. Pragae ab *Hussitis* mota et acta sunt, adludit Noster; ad hos enim illum pertinuisse, citatus ab eo *Doctor evangelicus* i. e. *Wiclef-fus* manifestum facit. Opus porro suum ita concludit: *Et in isto pono finem huic labori quem offero domino meo iesu christo velud sagum cilicinum tactu licet asperum et visu rude ad preciosum suum thabernaculum. in quod pilos olentis capre pauper obtuli, contra pluuias et caumata errorum utcumque contegendum et deffendendum Amen.* Nihil de Eo Scriptores, qui quidem ad manum sunt, commemorant.

III. fol. 90. manu Sec. XIV. absque inscriptione Tractatus scholasticus de Praedestinatione et libero Arbitrio, cujus initium: *Quia plerosque sollicitat an praedestinationis diuine similiter et reprobacionis aliqua causa in praedestinato et reprobato consistat ut puta meritum uel demeritum &c.* Dirigitur contra *Pelagianos*, quos *ingratos* vocat et *gratie inimicos*. Turbata sunt folia, Tractatumque hunc incurrit *Dialogus Magistri et Discipuli* de eadem materia, item *Sermo de Morte*, Librarii ipsius, ut videtur, vitio.

CCCCXXV.

568 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 216. 4. non una manu conscriptus sequentia continet Opuscula: I. ut in praevio notatur *Elencho*, tractata a M.

Johanne Przibram Quaestio: *An sacerdotes christi possunt sacras missas eo ritu, quo nunc per orbem geruntur, in vasis et vestibus, non ad usum communem, sed ad sacrificandum specialiter deputatis circumscripto ab eis omni peccato licite et meritorie celebrare.* Respondetur affirmando contra *Picardos*. Initium: *Cum firma fide credendum est, quod in nouissimis diebus instabunt tempora omnibus temporibus antedecursis periculiosiora &c.* Jam indicata *ἀνωρύτως* Cod. CCCCXXIII et DCCCII.

II. fol. 37. *Isti articuli sunt Picardorum et aliorum eos sequentium dampnati et reprobati per fideles bohemos (adjecit alia manus) Magistros presertim M. Jo. Przybram.* Initium: *Ihesus christus dominus omnipotens qui est deus et scientiarum dominus &c.* Opusculi autor *Wencesl. de Podiebrad.* Adi Codd. CCCCXXIII. et praeced.

III. fol. 96. *Tractatulus, ut Rubrica calcis, de Antichristo editus per magistrum Jacobellum de Miza.* Ejus initium: *Utrum sicut ex scriptura plene constat christum in plenitudine temporis personaliter advenisse, ita evidenter sit deducibile ex eadem antichristum in complemento seculi propria venire in persona. &c.* Jam relatus alibi.

IV. fol. 112. *Sequitur de Antichristo Doctoris Sacre Theologie Stanislai (de Znoyma) Contra Magistrum Jacobellum.* Initium: *Cum oppositorum suo tempore possibilibus &c.* Itidem relatus.

G g 3

V:

1679

C O D I C E S

1680

V. fol. 147. *Positio M. Ja (cobi de Miza) de ymaginibus. Ea videlicet: Vtrum secundum legem evangelicam plebes christi fideles necessitantur in templis suis aliquam habendo ymaginem colere adorare uel aliter quomodolibet uenerari. Ut alibi.*

VI. fol. 160. *Sermo M. Jacobelli de Purgatorio. In illud I. Cor. 11. Ipse autem saluus erit. sic tamen quasi per ignem. Ut alibi. Vide Indicem.*

VII. fol. 168. absque titulo Differtatio illa *De Usuris*, quae incipit: *Licet usura in bona significatione capiatur pro dispositione spiritali &c.* et recensita est *Cod. CCCCXXIII. N. 4.*

VIII. fol. 204. sine titulo Opusculum de variis *Virtutibus* indicans diversos earum *Gradus*. Initium: *De caritate. Infimus gradus caritatis est diligere amicum a quo homo diligitur, honoratur, fouetur &c.* Postremum pertractatur *Gaudium*.

IX. fol. 210. Oratio sensata et elegans ad Deum ad Ecclesiae pacem et concordiam impetrandam, quae incipit: *Rarissimus est qui zelum dei habeat, vicem tuam doleat &c.*

X. fol. 211. *De VII horis canonicis*. Initium: *Septies in die laudem dixi tibi &c. ut in psal. Quamuis enim deus semper in omni tempore a nobis sit laudandus &c.* *Henrico de Hassia* tribuit *Trithemius*, sed vide *Dicta ad Cod. CCCLXVII. et DLXXX.*

XI. fol. 215. Oratio *Magistri laurencij*. Initium: *Ecce nunc pre-*

uenientis gratie illuminati splendoribus clare cognouimus, quod hactenus errorum inuoluti tenebris ignorabamus. &c. *Laurentium* hunc Parochum ad *S. Henricum Pragae* putem, qui inter *Petri Paynii* realem Christi in Sacramento praesentiam uellicantis Adversarios memoratur *Balbino Bob. Doct. P. I. p. 87.* Ceterum ab *Hussi* partibus stetit.

XII. fol. 215. p. 2. Decretum *Job. Cardinalis* Rectoris et totius Coetus Magistrorum Acad. *Prag.* pro Purgatorio, Imaginibus, Benedictionibus Fontis, Sallis, Cereorum &c. Initium: *Cum heu presentibus periculosis ac gemebundis temporibus, ad que mundo senescente fines uenire seculorum &c. Datum prage Anno d. MCCCC^o XVII^o. die VII. Mensis. february in plena Congregatione Magistrorum Vniuersitatis sub Sigillo &c.* Sed nempe non tali auxilio, nec defensoribus istis tempus egebat. Ceterum, an ullibi typis vulgatum *Decretum* istud, ignoro. Msptum indicavi *Cod. CCCCXXII.*

CCCCXXVI.

Codex chartaceus lat. Sec. 8^{ta} XV. Folior. 188. 8. corrente, difficilique manu scholastica exaratus, olimque ad *Collegium Caroli Pragense* pertinens continet: I. Prolixum Tractatum, quo impugnantur singuli *Picarditarum* errores, qui e variis Catalogis noti sunt, ab Autore docto, qui tamen *Wiclefo* et *Rokyczanae* favet